Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2523

Quelle:
Copyright:

XXI. *fol.* 256. Sermo de Chriſti Adventu in illud *Geneſ.* c. 45. *Pro ſalute veſtra miſit me dominus in Aegyptum* &c. Initium: *Que verba poſſunt predicari de aduentu Chriſti. quia Joſeph ſignificat Chriſtum* &c. Exponuntur deinceps ſeptem illae ab O. incipientes Antiphonae, quae totidem diebus ante Natalem Domini in Eccleſia cantantur.

XXII. *fol.* 257. p. 2. *Epiſtolam ſubſcriptam Vniuerſitas Pragenſis poſt mortem Magiſtrorum venerabilium Magiſtri Johannis Hus et Magiſtri Ieronimi de Praga ad diuerſa Regna et provincias teſtimonium perbibens de vita ipſorum et conuerſatione laudabili deſtinauit.* Extat inter Epiſtolas *Huſſi* Opp. P. I. p. 103. numero LXV. Initium: *Uniuerſis ſancte matris eccleſie katholice filijs — Etſi inter multas et arduas ſolicitudines* &c. Data *die XXIII. menſis Maij Anno domini MCCCCXVI.*

XXIII. *fol.* 258. *Sententia Concilij Conſtantienſ. lata primum contra M. Johannem Wycleff et M. Hus et tandem contra M. Ieronimum de praga.* Extat T. XVI. *Colleƈ. Concil. Venet. col.* 409. hoc initio: *Chriſtus deus et ſaluator noſter vitis vera* &c. Lata die 30. *Maij*, a. 1416. qua et crematus *Hieronymus*. Exemplum noſtrum male *Idus Iulij*, neque rectius in fine poſt *anathematizatum* adtexit: *et ignis voragini finaliter comburendum. Et ſi quis eum in bijs et ſimilibus velit excuſare, ſimili pene ſubiacebit.*

XXIV. *fol.* 258. p. 2. *Litera ſubſequens eſt Regis Vngarie Sigismundi Reſponſiua ſatisfacere volens illi quam ſcripſerunt Barones Regni Boemie et Morauie ad Conſtanciam dolentes de combuſtione Magiſtrorum Johannis Hus et Ieronimi.* Epiſtolam illam N. VI. hujus *Cod.* indicavimus. Praeſens ſermone *Bohemico* conſcripta eſt: *My Sigmund bozy miloſti Rymſky Kral* &c. Latinam produxit jam *Cochlaeus* ſaepe *cit.* L. IV. p. 155. qui tamen ipſe conjicit *bohemice* exaratam fuiſſe.

DCLXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 251. 8. quorum tamen multa vacua, non una manu exaratus varia hoc ordine complectitur: I. Collectanea homiletica varia, dein de Matrimonio, de Poenitentia, de Confeſſione, et ſpeciebus Peccatorum cum Formula ſe de his accuſandi. 843

II. *fol.* 51. Explanationem Decalogi, cujus hic ingreſſus: *Cum ſecundum veritatis teſtimonium Matth. 19. ad ingreſſionem in patriam ſufficit et requiritur mandatorum ſeruancia — Vnde quidam conſiderantes quod chriſtus et ſui apoſtoli fidem ſcripture in lingwis varijs conſcripſerunt, doƈtrinam decalogi tam in lingwa latina quam Boemica diuerſo ſcemate diuerſis hominibus collegerunt* &c. Haec *Joh. Huſſi* aut alicujus illius adſeclae eſſe probabile faciunt ſenſa plura, quae iisdem verbis et in hoc *Codice*, et T. I. *Opp. Huſſi* edit.